



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Cisterciensi apostolicæ sedis Legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

focios suos in his quæ pacificè possidebant cum iter arripuerunt ad huiusmodi Dei seruitium exequendum molestare præsumpserit, aut ea quæ sibi tenentur reddere solvere recuserint, seu etiam unicum eius filium auferendo nobilem offenderit memoratum, vos eum ut ab eorum omnino vexatione desistat, & de damnis ac iniuriis irrogatis satisfaciat competenter, eisdem per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo, sicut iustum fuerit, compellere procuretis, matrem & sororem eiusdem nobilis viduas, quarum ipse solus quasi post Deum tutor & custos existit, in iure proprio defendentes, & quemlibet injustè molestantes easdem appellatione remota distractione simili facientes ab earum indebita molestatione cessare. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani II. Idus Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

E I S D E M.

Attendentes devotionem dilecti filij nobilis viri Buchardi, qui orthodoxæ fidei &c. ut in alia usque recuserint, seu etiam alias indebitè nobilem offenderit memoratum &c. ut in alia usque procuretis, matrem eiusdem nobilis viduam, cuius ipse solus quasi &c. usque injustè molestantem eandem appellatione remota distractione simili facientes ab ejus indebita molestatione cessare. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in alia.

NOBILIBVS VIRIS BARONIBVS & Militibus qui cum nobili viro Simone de Monteforti de signatorum exercitu remanserunt.

Devotionem vestram dignis in Domino laudibus commendamus quod orthodoxæ fidei zelo succensi, contra nostræ fidei subversores tam piè quàm strenuè certavistis, ac recepto mirabili de ipsorum contritione triumpho, terraque dudum à præambulis Antichristi possessa ad fidem Iesu Christi redacta, in defensionem ipsius cum dilecto filio nobili viro Simone de Monteforti, cuius est commissa regimini, remansistis, attendendo prudenter quod non minor est virtus quàm pugrare parta tueri. Quia igitur finis non pugna coronat, nobilitatem vestram rogamus attentius & monemus, in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus laudabile propositum vestrum laudabilius studenteperserverantia coronare, ad protegendum

eandem terram præfato nobili viriliter assistatis, expensis contenti à proximo Pascha deinceps, donec novum auxilium, quod multipliciter procuramus vobis & eidem Domino transmittatur. Datum Laterani Idibus Novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

ABBATI ET PRIORI sancti Victoris, & Priori sanctæ Genovesæ Parisiensis.

Præsentium vobis auctoritate mandamus quatinus elemosynas piis locis à nobili viro Roberto Malovicino & matre sua provida pietate concessas faciatis à locis ipsis auctoritate nostra quàm justè tam pacificè possideri, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compefcendo. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani IV. Idus Novemb. anno duodecimo.

ABBATI CISTERCIENSI apostolicæ sedis Legato.

Rofecturus ad habitandum dilectus filius nobilis vir Robertus Malufvicinus terram ab hæreticis nuper incolis expiatam, nobis humiliter supplicavit ut aliquem Clericum religiosum vel secularem per tuam faceremus sibi sollicitudinem deputari, cujus consilio, quandiu in terra ipsa morabitur, ad salutem animarum suarum in confessionibus & huiusmodi tam ipse quàm ejus uxor utatur. Nos igitur annuentes huiusmodi proposito pietatis, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus petitionem suam in hoc, prout expedire cognoveris, cum consensu diocesani Episcopi auctoritate nostra non differas adimplere. Datum ut in alia.

ABBATI DE VALLIBVS Cisterciensis ordinis.

Ubi dilectus filius Abbas Cisterciensis A. S. L. tibi dare providerit in mandatis ut ad terram nuper ab hæretica pravitate mundatam accedas, dilecto filio Simoni de Monteforti, cuius est commissa regimini, & aliis ibidem ad Dei servitium residentibus salutare consilium præbiturus, discretionem tuam monemus attentius & hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad exequendum opus huiusmodi pietatis secundum Abbatis prædicti monitionem accedere non postponas. Datum Laterani V. Idus Novemb. anno duodecimo.

Epist. 114. De similitudinibus.

Epist. 119. Inducatur ut assistant Simoni de Monteforti.

Epist. 127. Ut restant obsequii Mervicini.

Epist. 130. De elemosynis concessis piis locis. Vide supra epist. 127. & infra epist. 133. 134. 135.

Epist. 132. De quodam privilegio concessio R. Malovicino. Vide supra epist. 127.

Epist. 132. Ut accedat ad Simonem de Monteforti.